



Rubr. XVIII, Nro. 25. A.

Gymnasial - Bibliothek

zu Cöthen.

2)
3)
4)
5)
6)
7)
8)
9)
10)
11)
12)
13)
14)
15)
16)
17)
18)
19)
20)
21)
22)
23)
24)
25)
26)
27)
28)
29)
30)
31)
32)
33)
34)
35)
36)
37)
38)
39)
40)
41)
42)
43)
44)




19

DE SEPTEM DORMIENTIBUS,

Germanice *Præide Christiano Reineccio*

Von den *Joach. Christoph. Reineccio*

Sieben Schläffern. *Lips. d. 8 Jul. 1702.*



LIPSIÆ,
Impensis JO. MARTINI BURGKMANNI,
IN COLLEGIO PAULINO 1715.

SEPTEM
DORMIENTIBUS.

Germanice

Septem

Septem Dormientes.

Septem Dormientes.





DE
SEPTEM
DORMIENTIBUS,

Von den
Sieben Schläffern.

PRÆFATIO.

C*Im nuper in excutienda Traditione
Elia Talmudici de sex mundi mille-
nariis tuam locaveris operam, &
per varias mundi etates vagatus
versatusque fueris, nec tamen Ca-
thedram hanc, nescio quibus impeditus consi-
liis contingere potueris, placuit tibi aliam in-
gredi*

A



gredi viam, quæ ad hanc speluncam Septem Dormientium te duxit, atque per hanc superiorum indultu, sub meo quæaliquoqve Presidio conscendere cathedram contendis. Videri posses illud Virgilio amplexus:

Flectere si nequeo Superos, Acheronta movebo.
Sed absint a te impia hæc cogitationes. Et ipsos Septem Dormientes non in spelunca tantum Dormientes, sed etiam vigilantes offendis, & tandem non inter inferos, sed inter superos conspicias locatos. Juvat verò te hos Septem Dormientes in spelunca sua invisere, eosque in Cathedram proferre, partim, ne ipse Parentibus & Patronis tuis dormivisse videaris, partim ut defatigatus aliis meditationibus quietem & quæaliquoqve in miris Veterum nonnullorum Scriptorum narrationibus legendis delectamentum captas, inoque paulisper abutaris otio. Equidem alia tibi nuper commendavi argumenta, cum vero hac narratione de Septem Dormientibus adeo captus fueris, & a me, ut eandem tecum speluncam ingrederer, quin & præirem, postulaveris, tuis desideriis prorsus deesse haud potui. Neque etiam opera tua, quam in evolvendis Veterum de hac historia

ria

ria monumentis posuisti, improbari poterit. Cumenim videres, non tantum a pluribus adhuc Pontificiis commendari hoc miraculum & celebrari; sed a nostratibus etiam sæpius nude referri, diem subinde Septem Dormientium notari in Fastis nostris eidemque aliquid tribui, siquidem Micrælius scribat in Syntagm. Hist. Eccl. p. 272. Simplicissime credimus, illos sub Decio intra speluncam consummasse Martyrium, & corporibus eorum sub Theodosio Juniore inventis, dictos esse consueto scripturae usu dormientes. Scire voluisti, quinam primi hanc Septem Dormientium historiam conscripserint, an cœvi Scriptores αὐτόπται extant, an bona nota sint, anne figmentis studuerint, an acciderit ipsis, quod accidisse sæpius legimus, ut narrent, quod pia, quæ vocatur, fraude narrarunt Patres, & credant, quæ credidere majores sine ullo veritatem inquirendi studio. In hac dum inquisivisti, quis non laudet studium tuum? Nam scribente Manuele Caleca in præf. ad tr. de fid. princ. τὸ Φιλομαθὲς τῶν ἀνθρώπων παρὰ τῶν σοφῶν ἐπαιεῖται. Τέτο γὰρ ὄντως λογικῆς ψυχῆς ἐστὶν ἴδιον καὶ μόνον δύναται γινῶσιν καὶ σοφίαν τοῖς ἀνθρώποις

ποις παρασκευάζει, ὡς καὶ πρὸς τῶν παλαι-
 ῶν ἔλεγεν: εἰ ἂν ἦς Φιλομαθής, ἔστι πολυμαθής.
 Δῆλον γάρ ὡς ὁ μὲν ἀγαπῶν μανθάνει, ζητή-
 σει πάντως, ὁ δὲ ζητῶν, καὶ εὕρησει. ὁ δὲ εὕρων
 ἔτι ὅτι καὶ νοήσει καὶ γνώσεται. *Quilibet
 etiam facile animadvertet illud Hebraorum*
 פּוֹפּוּל מְחַיֵּיב מְחַיֵּיב מְחַיֵּיב מְחַיֵּיב מְחַיֵּיב מְחַיֵּיב
 populum occisum occidis, templum combustum
 comburis *haudquaquam in te quadrare. A-*
ge igitur, hoc ipso die, qui in Kalendaris no-
stris juxta Fastos Julianos refert d. 27. Jun.
Nomen Septem Dormientium, aperiemus spe-
luncam, producemus Septem Dormientes, tre-
mendumque quod vocatur Theophani miracu-
lum conspiciendum exhibebimus, ut qui hac cre-
dere possit, credat, qui non credere possit, no-
biscum illud legat suis Auctoribus narratum
lectumque judicet refutatum.





DE
SEPTEM DORMIENTIBVS,

Von den
Sieben Schläffern.

§. I.



On male de *somno* iudicant, qui *mor-*
ti ipsum comparant. Quippe
jam olim tam arcta consanguini-
rate a Poëtis juncti sunt *somnus* &
mors, ut ab *Homero* (a) GEMELLI
nuncupentur, a *Seneca* (b) vero
somnus MORTIS FRATER au-
diat. Quid dicemus de *Endymio-*
nis illius *somno*, qui, ut *fabulæ* (c) narrant, æterno sopo-
rea *Jove* detentus in *Latmo* monte quiescit. Certe, si
inter *somnum* & *mortem* tam arcta necessitudo inter-
cedit,

A :

cedit, hujusmodi dormitor in mortuorum regno plusquam peregrinator aut hospes erit. Sed cum ista narratio nimis Poëtarum fabulas oleat, longa penitentiam indignam judico. Nec multum majoris fidei illa ex Gentilium Antiquitatibus censebitur historia de *Epimide*, (d) quem alii 47, alii 57,77, alii, somno transegisse annos tradunt. Quæ licet ab Historicis melioris fidei referatur, cum tamen & ipsi incertis monumentis nitentes facile decipi potuerint, ad cæteras Gentilium de somno fabulas mihi ableganda videtur. Quod si vero Ecclesiasticarum rerum scriptoribus, potissimum Christianis major semper fides habenda, illa quæ passim ab iis de SEPTEM DORMIENTIBUS traditur historia, accuratori ~~vel~~ meretur subjici.

(a) Iliad. 16. (b) in Herc. Fur. (c) Zvvinger. Theatr. Hum. vit. Volum. II. Lib. V. p. 415. (d) ibid.

S. II.

Legimus autem varias de Septem Dormientibus historias, quarum cum tres potissimum dissonent, diversæ videri possunt. Prima affertur a *Gregorio Turonensi* ex Veteri narratione apud Majus monasterium inventa in Epist. ad Bituricensem Archi-Episcopum, (e) in qua septem Juvenes memorat Regia Hunnorum stirpe, quorum hæc nomina addit: *Clemens, Primus, Lærus* (Cletus), (f) *Theodorus, Gaudens, Quiriacus & Innocentius*. Hos dicit in Turonica civitate a S. Martino habitu monachali indutos, atque hujus Episcopi deinde mortui crebra apparitione dignatos, simul omnes post sacram Communionem sanos ac incolumes viam universæ carnis ingressos esse: ubi omnibus non mortui
sed

sed dormientes visi sunt. Horum memoria Turonen-
 fibus 4. Novembr. celebratur. (g) Similem narratio-
 nem affert *Paulus Warnefried* (b) de Septem Dormi-
 entibus, qui longo sopore quiescentes illæsis corpori-
 bus & vestimentis ostendantur, barbaris venerationi
 habiti; eorumque antrum describit sub eminente ru-
 pe esse, in extremis Circium Germaniæ finibus, in ipso
 Oceani littore. Sed hos Septem Dormientes eos-
 dem esse cum prioribus, judicat post *Baronium Marol-
 lius*. (i) Omnium vero notissimum & celebratissimum
 illud habetur Miraculum de *Septem Dormientibus Ephe-
 sinis*, quod *Photio* (k) παραδοξον καὶ ὑπερφυσικον διακου
 ὑπερδυναστον inter miracula maximum, *Theophani* (l) &
Cedreno (l) φοβερόν θαύμα tremendous miraculum salu-
 tatur. *Nicephoro* (m) dicitur Opus, quod nulla ex parte
 miraculis antiquitus a Deo supra naturam editis cedat.
Sigonio (n) vocatur res ingentis apud omnem Po-
 steritatem stuporis. Ne referamus *Arabum* encomia,
 & quam maximi habeatur pretii (o) السورة السبعة
 Sura Speluncæ.

(e) in Biblioth. Maxima Patrum Lugdun. p. 959. Hanc vero E-
 pistolam imperite adscribi *Greg. Turonensi* observant *Hen-
 schenius* & *Papebrocius* in Actis Sanctorum Maji T. 1. ad E-
 phemerides Græco-Mosc. pag 37. *Theod. Ruinarius* in præf.
 ad Op. Gregorii Turon. §. 79. rem fere in medio relinquit,
 id tantum observans, quod etsi Epistola hæc Gregorio tri-
 buatur; non inde tamen inferendum historiam ipsam ab illo
 eodem Auctore conscriptam fuisse; cum e contrario Episto-
 læ scriptor discretis verbis asserat se hanc narrationem apud
 Majus-monasterium invenisse eamque transcriptam *Sulpi-
 cio* uti petierat destinasse. (f) *Gleim* nominatur in Martyrol.
 Galli-

DE SEPTEM DORMIENTIBUS.

Gallicano apud *Andr. du Saussay* p. 662. (g) V. Acta Sanct. Maj. Lc. (h) V. Biblioth. Max. T. 13. p. 162. (i) in Martyrol. p. 312. (k) V. ap. *Theod. Ruinart.* in Not. ad Greg. Turon. p. 1282. (l) in Biblioth. p. 762. (m) Chron. p. 76. Hist. T. 1. p. 338. (n) Hist. Eccl. T. 1. lib. XIV c. 45. p. 541. (o) de Occidentali Imp. l. 13. p. 211. (o) *Beidavius* certum Lectoribus Suræ 18. promittit præmium: *Si quis legerit Suram Speluncæ ab extremo ejus: nimirum, nisi fallor, a medio ad finem; erit ei lux a Capite usque ad calcem; si quis vero legerit illam totam, erit ei lux a terra usque ad cælum.*

§. III.

Inter antiquissimos, qui hanc de Septem Dormientibus nobis reliquerunt historiam, facile primum locum sibi vendicat *Gregorius Turonensis Episcopus*, (p) qui Sec. VI. vixit, & talem instituit narrationem: Tempore „ Decii Imper., cum persecutio in Christianos ageretur, „ septem viri comprehensi sunt & ducti coram Principe: „ horum nomina hæc sunt, Maximianus, Malchus, Martinianus, Constantinus, Dionysius, Johannes, Serapion: qui diversi verbis tentati, ut cederent, nequaquam „ adqueverunt. Imperator vero pro elegantia eorum, „ ne in momento perirent, spatium tractandi indulget. „ At illi in unam se speluncam concludunt, ibique per „ multos dies habitaverunt: egrediebatur tamen unus „ ex eis, & comparabat victus, & quæ necessaria erant, „ exhibeat. Revertente autem Imperatore in eandem „ civitatem, isti petierunt a Domino, ut eos ab hoc periculo dignaretur eruere, factaque oratione prostrati „ solo, obdormierunt. Cumque Imperator didicisset, „ eos in hoc antro morari, nutu Dei jussit os speluncæ „ magnis labidibus oppilari, dicens: Ibi intereant, qui
Diis

DE SEPTEM DORMIENTIBUS. 9

Diis nostris immolare noluerunt. Quod dum agere-
 tur, quidam Christianus in tabula plumbea nomina
 & Martyrium eorum scribens, clam in aditu, caverna
 priusquam oppilaretur, inclusit. Post multorum
 vero annorum curricula, cum data Ecclesiis pace
 Theodosius Christianus obtinuisset imperium, surre-
 xit hæresis immunda Sadducæorum, qui negant re-
 surrectionem futuram. Tunc quidam Civis Ephesius,
 dum caulas ovibus secus montem ipsum facere de-
 stinat, ac lapides divolvit, ad coaptanda earum septa,
 ignarus, quæ agerentur introrsum, patefecit ingres-
 sum ejus, non tamen cognovit arcanum, quod habea-
 tur intrinsecus. Dominus autem immisit septem vi-
 ris spiritum vitæ, & surrexerunt. Putantesque, quod
 una tantum nocte dormissent, miserunt puerum u-
 num ex se, qui cibos emeret. Cumque veniens supra
 portam civitatis vidisset crucis gloriosæ signaculum,
 audissetque per Christi nomen jurare populum, ob-
 stupuit: prolatisque nummis, quos a tempore Decij
 habebat, a mercatore comprehenditur, dicente sibi,
 quia absconditos antiquitus thesauros reperisti. At
 ille negans deducitur ad Episcopum ac Judicem civi-
 tatis. Cumq; ab his argueretur, compellente necessita-
 te mysteriū revelavit, & deduxit eos ad speluncam, in
 qua viri erant. Cumq; ingrederetur Episc. invenit ta-
 bulam plumbeam, in qua omnia, quæ pertulerant, ha-
 bebantur scripta, locutusque cum eis, nuntiaverunt
 hæc cursu rapido Imperatori Theodosio. At ille ve-
 niens adoravit eos pronus in terra, qui tali colloquio
 cum eodem usi sunt Principe: Surrexit, gloriose Au-

B

guste,



„guste, hæresis, quæ populum Christianum a Dei pro-
 „missionibus conatur avertere, ut dicant non fieri re-
 „surrectionem mortuorum. Ergo, ut scias, quia o-
 „mnes juxta Apostolum Paulum representandi eri-
 „mus ante tribunal Christi, idcirco jussit nos Dominus
 „suscitari, & tibi ista loqui. Vide ergo ne seducaris &
 „excludaris a regno Dei. Hæc audiens Theodosius
 „Imperator glorificavit Dominum, qui non permisit
 „perire populum suum. Viri autem iterum prostrati
 „in terram obdormierunt. Quibus cum Theodosius
 „Imperator sepulchra ex auro fabricare vellet, per vi-
 „sum prohibitus est ne faceret. Viri autem usque ho-
 „die palliolis sericis aut carbasisis cooperti in ipso loco
 „requiescunt; quod passio eorum, quam Syro quodam
 „interpretante, in Latinum transtulimus, plenius pan-
 „dit. In qua narratione id simul observamus, Turo-
 „nensem aliud scriptum allegare quod in latinum con-
 „vertit, quale verò illud sit, & quæ ipsius versio, an ullibi
 „habeantur, incertum pronunciat *Theod. Ruinartus*.
 (9) Et licet nonnulla MSS. offenderit, in quibus legatur
 historia Dormientium, quæ horum illa ipsa nomina, quæ
 recensentur Turonensi, habeat, non tamen ausus est
Ruinartus illam Gregorii operibus inferere, eo, quod
 multa dubiæ fidei contineat, nec constet, an ipsius Gre-
 gorii factus dici possit. Quemadmodum vero ante
 Turonensem hujus prodigii narratorem non offendi-
 mus; ita nec coævum aut alium seculi VI. scriptorem,
 qui hanc prodidisset historiam, reperire potuimus. Sed
 ex Sec. VII. nobis occurrit *Mubammed*, (r) cum quo ple-
 rique subsequæ ætatis Scriptores, in novis subinde
 cir-

circumstantiis fingendis & prodendis concertare pro-
pmodum, & miracula miraculis cumulare videntur.
Referunt vero illud prodigium *Theophanes* (f) *Photig* (s).
ex martyrologio, *Sim. Metaphrastes*, (t) *Eutychius Ale-*
xandrinus, (u) *Cedrenus*, (x) *Sigebertus*, (y) *Constant. Ma-*
nasse, (z) *Greg. Abul. Pharauius*, (a) *Jac. de Voragine* (b) (de
Viragine.) (c) *Nicephorus*, (d) *Palmerius*, (e) *Petrus Nata-*
lis, (f) *Volateranus*, (g) *Sigonius*, (h) ut alios innumeros
faceamus, qui rem miram non sine mira variatione
produnt.

(p) l. i. de Glor. Mart. C. XXX. p. 754. c. 95. p. 826. edit. 1699.
Habetur etiam in Biblioth. max. T. XI p. 856. De hoc *Turonensi*
varia sunt Criticorum judicia, quibus Vir magnæ ut nobili-
tatis ita & simplicitatis & nimix credulitatis arguitur. Vid.
Kœnig. Biblioth. Univ. p. 362. *Baronius* A. 109. *Caveus* Hist.
Lit. p. 298. Et ipse *Theod. Ruinartius*, qui nuperrime proli-
xam Apologiam pro *Gregorio* scripsit, inficiari haud potuit,
in præf. §. 64. *Gregorium* forte in credendis miraculis ali-
quando fuisse faciliorem, & iterum §. 67. inquit: Unum fate-
or, in quo plus æquo credulus fuit, in iis scilicet credendis, quæ
ab Antiquis scripta inveniebatur, aut certe acceperat ex Vetusis
Traditionibus. (q) in præfat. operibus *Greg. Turonensis* præ-
fixa § 73. & in Notis p 8:7. (r) in *Alcorano* Sur. 18. p. 259.
edit. *Hinkel*. Et p 416. ed. *Marracc*. Quam putidis vero fa-
bulis *Alcoranus* scateat, pluribus exponunt *Pfeifferus* in *Ma-*
tæolog. Muhamm. p. 291. *Grapius* disp. pec. Nec filere po-
tuit *Marraccius* in Prodr. & in Not. ad *Alcoran.* passim. (s)
Chron. p. 76. (t) in Biblioth. cod. 153. de quo illud *Cavei* in
Hist. Lit. 387. est judicium, quo *Vir* habetur infinitæ lectio-
nis, stupenda eruditionis, omnium non sui modo sed & omnium pe-
ne *Seculorum* Doctissimus, librorum *Helluo voracissimus*, Cen-
sor *negligentissimus*. Qualia vero subinde scripta legit, talia
recensuit. (z) ap. *Surium* in vit. Sanct. p. 313. De hoc Scri-

ptore *Bellarmini* iudicium approbatur Gerharδο in Patrolog. p. 517. (u) in *Annalibus* p. 391. & 531. vocatur *Eutyebius Alex.* quoque ex idiomate Arabico *Said Ebn Barrik* it. *Barricides*. Ex hoc uno eodemque Scriptore *Magnif. Dn. D. Rechenbergius* duos effecit in *Summ. Hist.* p. 269. sed sub fin. libelli ipse hoc inter errata retulit. Iudicium *Cavei* de *Eutyebio* est in *Hist. Lit.* p. 407. Certe plurima anilibus fabulis simillima, qua si non ex proprio cerebello finxerit, saltem ex futilibus *Eclesia* sua monumentis hausit. (x) *Comp. Hist. T. I.* p. 318. *Idiosam* fuisse, illius scripta clamant; scribit *Scaliger* in *Animadv.* in *Euseb. Chron. Casaubono* exercit. 2. c. 17. p. 185. iudicatur nullius admodum iudicii *Scriptor*, & *Veteris Historia imperitissimus*; uti & *Lipso* Ep. *Misc.* 61. p. 466. *aniliam* saepe *fabularum* scriptor, & veri incuriosus vel ignarus. (y) *Chronic.* p. 24. (z) *Breviar. Hist.* p. 56. in *Op. Byz.* (a) *Hist. Dynast.* p. 81. 91. 151. (b) in *Hist. Longobard. Legend.* 96. *Historia* hæc dicitur etiam *Lombardica*, *Pasionale Sanctorum*, *Legenda aurea* &c. de qua *Georg. Wicelius* in præfat. ad *Hagiolog.* notat, quod *Mythologia* impensius indulgeat, & *Ludovicus Vives* l. 2. de causis corruptarum Artium sub fin. scribit: quam indigna est divis & hominibus Christianis illa *Sanctorum Historia*, qua *Legenda aurea* nominatur, quam nescio, cur *auream* appellent, cum scripta sit ab homine ferrei oris, plumbei cordis &c. *Conf. Canus* l. XI. c. 6. *Raynaudus* T. 12. op. p. 244. Quicquid sit de *Bolando*, qui in præf. generali ad *Acta Sanctorum Januarii Jacobum* hunc contra *Wicelium* & *Vivem* vindicare studuit. (c) ita rectius appellari notant *Vossius* de *Hist. Lat.* §. 2. c. 60. *Caveus* in *Hist. Lit.* p. 518. Minus recte in *Possevini* apparatu legi de *Varagine* observat *Lambec. Biblioth. l. 2.* p. 782. *conf. l. 8.* p. 191. (d) *Hist. Eccl. T. I. b. 5. c. 27.* p. 377. & *T. II. l. 4.* c. 45 p. 540. Quæ iudice *Casaubono* non pluris quam folia *farsari* faciendâ sit. *conf. Wharton* in *Append. ad Cavei Hist.* pag. 20. (e) in *Chron.* p. 94. (f) *Catalog. Sanctorum* cap. 51. (g) *Comment. Urb. l. 19.* p. 223. (b) de *Occident. Imp. l. 13.* pag. 211. §. IV.

§. IV.

Ut vero rem tam memorabilem hisce Scriptoribus visam ordine quodam perlustremus; numerus horum Dormitorum sese nobis primo offert: qui ab omnibus mystico alias & perfecto septenario exprimitur, nisi quod *Muhammed* in Alcorano suo numerum hunc dubium reddere ausus fuerit. Verba ipsius sunt: (i)

سبتواون ثلاثه رابعهم كلهم ويقواون خمسة سادسهم
كلهم راجعا بالغيب ويقواون سبعة وثمانهم كلهم
تدري اعلم يعنيهم مسا بعلمهم اسلا فاسيدل *

Dicent quidam: hi juvenes fuerunt tres: quartus eorum fuit canis eorum: Et dicent alii: fuerunt quinque; sextus eorum fuit canis eorum; opinando de re arcana. Et dicent alii: fuerunt septem & octavus fuit canis eorum.

Dic tu, o Muhamete: Dominus meus scientissimus est de numero eorum; non scient eos nisi pauci. Magis ridicule id ex Arabam scriptis refert *Olearius*: (k)

Es ist ein König in Persien gewesen mit Namen Dakianus, welcher nicht ferne von der weitberühmten Stadt Nachtzuan in der Landschaft Karabach gelegen seinen Sitz gehabt. Weil dieser ein Heyde und Gözen-Diener gewesen/hatten zween seiner Rätthe und ein Traubant/indem sie verniercket/ daß der heydnische Glaube nicht rechtschaffen/ und das Anbeten der Gözen ihrer Seelen nichts dienliches schaffen könnte/ sich vom Hofe wegbegeben. Als sie nun auff der Reise seynd/ treffen sie unterwegens einen Schäffer an/welcher als er verniercket/ daß sie sich wegen des Gözen-Dienstes vom Hofe gemacht/ und gehen den wahren Gott zu suchen/

begibt er sich auch mit in ihre Gesellschaft: Indem aber des Schäfers Hund ihnen nachfolgte/ und sie vermeynet/ der möchte sie zu Nachtzeit/ wenn sie etwa an einem Ort verborgen seyn wolten/ mit seinem Bellen sie verrathen/haben sie den Hund zurücke treiben wollen. Als er aber sie nicht verlassen will/ schlägt einer unter ihnen mit dem Sebel hinter sich/ und hauet ihm ein Bein ab. Der Hund folget gleichwohl mit drey Beinen/er wird auch an dem andern verstimmet/dessen ungeachtet gieng er auff zwey Beinen nach/ ihm wird das dritte/ und weil er gleichwol auff dem einen hüpfte/ endlich auch das vierdte entzwey geschlagen. Da beginnt der Hund zu reden/ und fraget/ warum sie also bey ihm handelten/ und seiner Füße beraubeten/ und wo sie denn hingedächten? Als sie sagten/ sie hätten ihnen fürgenommen/den wahren Gott zu suchen/ und ihm allein zu dienen/er beut sich der Hund auch dazu/sagend/er wäre auch des willens/ und wolte mit ihnen. Ueber solch frembd Werck werden die Pilgrim bestürzt/ befragen sich unter einander/was hiebey zu thun/ werden eins den Hund mit zunehmen/ und tragen ihn eins ums andere auff den Schultern. Als sie nun an ein grossen Berg kommen/ und eine tieffe Höle antreffen/ legen sie den Hund im Eingang der Hölen nieder/ und gehen hinein/ sehen sich und schlaffen/ unterdessen muß der Hund Wache halten/ und niemand zu ihnen hineinlassen. Nihilominus tamen Commentatores Alcorani facilius in numero septenario conveniunt; Septem enim fuisse verum asserit *Gelal* ex auctoritate Ebn Abbas. (1)

(1)



(j) Surat. 18. 23. f. 417. (k) Rosenthal. p. 8. V. apud Pfeiffer. Matæolog. Muhammed. p. 291. (l) V. apud Marraccium p. 425.

§. V.

Patria horum Septem Dormientium habetur urbs Ephesus multis mirabilibus nobilitata. Parentibus Ethnicis nati videntur ex *Simeone Metaphrasæ*, (l) Christianis potius creduntur *Nicephoro* (m) cui vocantur *Religionis Christianæ cultores a Parentibus per manus eis traditæ*; nobilissimis tamen, unde *Patricii* vocantur apud *Photium*, (n) & *illustrium virorum & Optimatum urbis filii* juxta *Metaphrasæ*, (o) & juxta *Eutyrium* (p) *Magnatum filii* audiunt. Præterea *Gregorio Turonensi* (q) *germani* dicuntur & *Nicephoro*: (r) *fratres corporibus juxta & animis*, ita & *Sigonio* (s) *ex iisdem Parentibus nati* memorantur. Ætate adhuc florentissima fuisse ex nominibus puerorum (t) & juvenum colligitur. Et ab Imperatore Decio non tantum plurimum amatos esse, sed etiam muneribus certis ad motos, testantur. *Metaphrasæ* (u) & *Eutyrius*. (w) Ille *Zona militari insignitos ac in Exercitu illustres*, hic *rei vestiarie propositos fuisse* perhibet. In recensendis nominibus vero aliqua discrepantia apud Scriptores deprehenditur. **TURONENSIS** (x) hæc nomina habet: *Maximianus, Malchus, Martinianus, Constantinus, Dionysius, Joannes, Serapion*. Alia nonnulla **PHOTIUS**: (y) *Maximianus, Jamblichus, Martinus, Dionysius, Exacustudianus, Antoninus & Johannes*. **METAPHRASTES** (z) alia *Maximilianus, Jamblichus, Martinus, Johannes, Dionysius, Exacustadius, Antoninus*. **EUTYCHIUS** (a) sequentia: *Maximianus, Amlichus,*
Dia-

Dianus, Martimus, Dionysius, Antonius, Joannes. Alia prorsus exhibet ex MS. Æthiopico LUDOLFUS: (b) *Arshaledes, Diomedes, Eugenius, Dimatheus, Bronatheus* (nomina in Græcia nunquam audita) *Stephanus & Cyriacus.* Præterea *Maximianus* nominatur in opere Chronicorum (c) *Maximinus, & Malchus* ibi vocatur *Marcus*; Ut mittamus, quod in hoc opere, uti & in Catalogo Sanctorum *Petri de Natalibus* (d) nec idem nominum horum ordo servetur,

(l) ap. *Surium* l. c. p. 314. (m) l. c. p. 541. (n) l. c. (o) l. c. (p) l. c. p. 391. (q) l. c. (r) l. c. (s) l. c. (t) pueri nominantur ab Eutychio, Cedreno, Nicephoro &c. hoc nomen etiam describuntur in Alcorano, ubi tamen notat *Marraccius*, p. 425. ex *Gelal* quod vox Arabica *المغربي* (sumatur hic pro *السباب الكامل* juvene perfecto, unde aliis nonnumquam viri, juvenes, Adolescentes vocatur. (u) l. c. p. 314. (v) l. c. p. 331. (x) l. c. (y) l. c. (z) l. c. (a) l. c. (b) in Comment. ad Hist. Æthiop. in Annot. ad Calend. pag. 416. (c) p. 119. hujus operis Auctor habetur *Harimannus Scedellius Norimb. V. V. ff. de Hist. lat. p. 573.* (d) l. 7. cap. 51. f. 141.

§. VI.

Vixisse hos septem Juvenes sub Decio, & aliquod sub hoc Imperatore Martyrium subiisse, omnes consentiunt. Cum enim furor crudelissimi hujus Christianorum persecutoris etiam in urbe Epheso contra illos, qui idolis immolare noluerunt, sæviret, hi quoque septem Juvenes a speculatoribus observati, vincti, (e) in carcerem coniecti, (f) & tandem ad Decium ducti sunt, coram quo fidem suam summa constantia palam confessi sunt. (g) Tormentis tamen subjici illos noluit Tyrannus, singulari ipsorum elegantia & juventutis flore

[com-

commotus; (b) sed spatium ad idola reverendi concessit. (i) Hinc vinculis exanti, exuti & dignitatibus atq; officiis (k) dimissi sunt, quoad opportune de illorum religione inquiri posset. Mox alio se contulit Imperator, eo tñ. consilio, ut Ephesum repeteret. (l) Hi interea patrimonio suo inter pauperes distributo, (m) in montem, (qui aliis Ochlon, (n) aliis Chaos. (o) aliis Cœlium, (p) & ex quorundam sententia Muhammedi *السرقسيه* *Alrakim* vocatur) (q) prope Ephesum confugerunt, ibique in spelunca se abdiderunt, constituto uno sive ex eorum numero, (r) (quem alii Jamblichum vocant, (s) alii Malchum) (t) sive aliunde assumto, (u) qui quotidie in urbem mitteretur, & quæ agerentur observaret, vitæque illis compararet. Reversus autem Decius est Ephesum, & quæri de hisce Juvenibus cœpit, cumque non reperirentur, Parentes tandem metu tormentorum adacti & coacti prodiderunt filios suos his verbis: (x) *aufugerunt in montem & ibi delitescunt in spelunca, sive igitur vivant, sive mortui sunt, nos ignoramus.* Tunc Decius aditus speluncæ lapidibus obstrui ut perpetuo carceri inclusi nunquam in hominum conspectum venirent, sed fame perirent. Eamque rem referente *Turonensi* (y) Christianus quidam, & juxta *Eutychium* (z) ex Præfectis aliquis (alii duos numerant, quos *Metaphrastes* (a) vocat Theodorum & Barbum, *Jac. de Voragine* (b) Theodorum & Rufinum, MS. *Æthiopicum Ludolfi* (c) Theodorum & Macedonium) tabula plumbea consignavit, & ipsorum nomina Martyriumque expressit; (d) quam plumbeam tabulam ænea arca conclusit (e) & in spelunca reliquit, ut monumentum extaret, si aliquan-

C

quan-



quando aperiretur spelunca, & horum Martyrum corpora reperirentur. Cum vero ita sepulchro suo se vivos detineri viderent, præ summo animi mœrore in profundum somnum delapsi sunt. (f) Nisi jam, antequam obstrueretur aditus, uti tradit *Taronensis* & *Metaphraſtes*, obdormierunt. Qualis vero hic ipſorum fuerit ſomnus, non omnes conveniunt. Certum enim eſt, ipſa Scripturæ Phraſi mortem ſubinde vocari ſomnum, & revera mortuos dici dormire; unde *Metaphraſtes* ſomnum hunc ita deſcribit, ut revera obiſſe videantur. Verba ipſius ſunt: (g) *Deus fecit illos mortis genus quoddam obire -- ſopore correpti in terra jacentes obierunt, animas ſuas Deo reddentes, & divinam gloriam concelebrantes; & quando ad expergefactionem eorum venit: Viris vita reſtituta eſt, & vox illa, quæ Lazarum e monumento excitavit, eadē & S. Martyribus vita & ſpiritum reſtituit.* Nihilominus de ſomno interpretatur *Metaphraſten Baronius*; (h) Et ſomnum, non mortem memorant, obdormiſſe, non obiſſe ſcribunt reliqui Scriptores plerique omnes. (i) Et licet dormientes hi a mortuis parum differrent, nihil tamen detrimenti vel in corporibus vel in veſtimentis paſſi ſunt. (k) Cujus egregiam ſcilicet reddit rationem *Muhammed* in Alcorano ſuo, dum verſatos fuiſſe a Deo ad dextram & ſiniſtram, tradit, (l) ne forte, ut commentatur *GELAL*, (m) abſumeret terra carnes eorum, quod ſocio cani etiam accidiſſe, idem teſtatur. Præterea oculis apertis dormiſſe, innuit *Muhammed*, & quaſi vigilantes viſos eſſe. * *وَتَحْسِبُهُمُ الْيَتَامَىٰ وَهَمُ رَهْوٰنٌ* Et exiſtimaffes eos vigilantes, tenebant enim oculos apertos; at ipſi erant dormientes.

entes.



entes: ipsumque canem obdormivisse *Mubammedani* (n) credunt, qui ad incutiendum terrorem in Alcorano ita describitur: *وكلسهم بانط ذراعيه بالوصيين* & canis eorum erat extendens brachia sua in ore speluncae. Hoc ab aliis non traditur, nec in figura aenea, quam *Heuschenius* & *Papebrochius* in Calendario Græco-Mosco figuras cum antiquissimas judicent, & ab ipsis Græcis profectas, (o) jucundum nobis visum fuit, ex iis nostros Martyres & dormientes *Fig. 1.* & evigilantes *Fig. 2.* in sua spelunca iisdem figuris aeneis hoc loco sistere.

(e) *Metaphrastes* l.c. p. 314. (f) *Eutybius* l.c. p. 391. (g) *Photius* l.c. p. 485. (h) *Georg. Turon.* l. c. & *Metaphrastes* l. c. (i) vid. ibid. (k) ibid. l.c. (l) *Eutybius* l. c. p. 391. (m) *Jac. de Voragine* l.c. & *Chronic. Scedeli* p. 94. (n) *Metaphrastes* l.c. (o) *Eutybius* l.c. (p) *Jac. de Vorag.* l.c. *Volateranus* l.c. (q) *Marracc.* ad Alcor. p. 425. ex *Zamchascario* de voce *القميص* Al sequentia habet: *Alrakim* est nomen canis eorum. Alii dicunt fuisse tabulam, seu laminam plumbeam positam super os speluncae, in qua incisa erant nomina eorum. Alii dicunt fuisse nomen ipsius montis. Alii vallem, in qua sita erat spelunca. Alii locum, ubi dormierunt. Alii locum, ubi steterunt. (r) *Photius*, *Metaphrastes*, *Eutybius*, loc. citatis. (s) *Photius*, *Metaphrastes* l.cit. (t) *Jac. de Vorag.* l.cit. (u) *Chronic. Scedeli* l.cit. (x) *Metaphrastes* l.cit. p. 315. (y) l.cit. (z) loc. cit. (a) l.cit. (b) l.cit. (c) *Comment. Hist. Æthiop.* l.cit. (d) *Turonensis* & *Metaphrastes* l.cit. (e) *Eutybius* l.cit. (f) *Eutybius* l.cit. *Nicephorus* l.cit. pag. 541. (g) *L.* pag. 314. & 315. (h) *Martyrolog. Rom.* pag. 312. (i) *Eutybius* l.cit. pag. 391. *Cedrenus*, *Sigebertus* loc. citatis, *Nicephorus* l.c. pag. 541. *Constant. Manasse* l. c. & c. (k) *Nicephorus* l.c. (l) *Sur.* 18. pag. 47. conf. *Olearius im Rosenzthal* pag. 8. & *Pfeiffer* in *Mataol. Muham.* p. 294. *Es wãre alle Nacht ein Engel gekommen/ der sie umgekehret/*

ret / damit ihre Kleider nicht veralten Können. (m)
 V. Maracc. Not. ad Alcor. p 415. (n) V. G. Geniui in No-
 tit ad Sadi Rosarium p. 552. (o) V. Praefat. ad Ephemer. in
 Actis Sanctorum Maji Tom. I.

§. VII.

Temporis spatium, quod dormiendo transegerunt,
 a Decio extenditur usq; ad Theodosium, quem Taronensis (o)
 Christianum vocat, non indicans, quem ex Theodosijs)
 intelligat. Eutybius (p) Theodof. M. nominat, ejusque
 imperii annum octavum. Durandus (q) Imperatores
 fuisse scribit Honorium & Arcadium. In quo tamen
 reliqui omnes ab eo discedunt, Theodosium Junio-
 rem, sub quo expergefacti sint, fuisse, conclamantes. Ad an-
 num Theodosii Junioris 38 Photius, 23 Theophanes & Cedre-
 nus, 30 Volateranus dormientium horum excitationem
 ex somno referunt. Et praererea in computandis an-
 nis mire variant. Imperitissime omnium annos 900
 dormivisse perhibentur ex Arabibus ap. Olearium, (r)
 cum Muhammet (s) in Alcoranotantum 309 numeret,
 & alijuxta G. Genium (s) in notis ad Sadi Rosarium 310.
 ponant; Pharus, (t) Metaphrastes, (tt) Eutybius, (u)
 Jac. de Voragine, (w) Nicephorus, (x) alique (y) annos
 372. exprimunt. Durandus (z) habet 300. annos. Sed
 tempus a Decio usque ad Theodosium Junio-
 rem ultra 200. annos extendi non potest. Deseruerunt igitur istum
 numerum Theophanes, qui annos 184. Cedrenus qui 170.
 annos, Abul-Pharajius, qui 140, Sigebertus, qui 192, Vo-
 lateranus, qui 196, alii que passim, qui per duo fere secu-
 la dormivisse dormientes scribunt.

(o)



(e) l.c. (p) l.c. p. 551. (q) Rational. l. 7 c. 18. f. 444. (r) in Rosenthal p. 8. (s) l.c. ubi in *Bibliandro* forsan per vitium typographicum legitur 360. (t) p. 552. (u) l.c. (v) l.c. (w) l.c. pag. 553. (x) l.c. qui tamen sub finem hujus historiae se ipsum corrigit, & annorum a Decio usque Theodosium calculo inito computat 196. annos somni horum septem Dormientium. (y) l.c. (z) vid. Calendar. figurat. in Actis Sanctorum Maji T. 1. ubi sub lit. TOB. hic numerus exprimitur. (z) l.c. pag. 444.

S. IIX.

Sub Imperatore hoc *Theodosio Juniore* singulari Dei directione factum est, ut spelunca iterum aperiretur, & quidem hac occasione: nimirum civis quidam Ephelus, (a) qui vocatur Adolius, (b) montis hujus & speluncae Dominus, (c) ovile quoddam suis pecudibus extrui eo in loco curavit. Ejus igitur servi una cum his qui operi faciendò vacabant, lapides, quibus obstructum erat os speluncae revolverunt, & ad ædificium suum adhibuerunt. Atque ita aperta traditur spelunca. Quanquam hoc *Eutychius* (d) paulo aliter referat nimirum longo temporis intervallo, cum pastores inter transeundum lateres, quibus speluncae aditus obstructus fuerat, loco movere soliti essent, apertam esse speluncam. Alter *Durandus*: Voluit quidam, inquit, stabulum contra speluncam facere, & fecit magnum ignem in quo solus sunt lapides, & statim in spelunca refulsit splendor ignis. Alia vero Deo obtigisse legitur occasio, tremendum parrandi miraculum. (e) Nam impura Sadducæorum hæretis (f) sub *Theodosio* fertur exorta, cujus hæreticos dux & Autor nominatur *Theodorus Aegæorum* Episcopus, (g) a quo seducti, alii prorsus negarunt resur-

rectionē mortuorum, alii non futuram iisdem corporibus statuebant. (b) Ad hos confundendos hæreticos, confirmandosque in sua fide fideles, nostros per duo fere secula dormientes Martyres Deus excitavit e somno. Atque hanc rationem & expergefactionis finem ipsi non siluerunt nostri expergefacti martyres allocuti (i) Imperatorem, ut mox audiemus. Ipsumque Pastoris canem excitatum credunt *Mubammedani*. Et quid mirum? dum hominem evasisse statuunt & in vitam æternam translatum. (k)

(a) *Turonensis* l. c. (b) *Photius & Metaphrastes* l. c. (c) *ibid.* (d) l. c. p. 531. (e) *Photius* l. c. (f) *Turonensis* l. c. (g) *Photius, Metaphrastes* l. c. (h) *Nicéphorus* p. 540. (i) *Turonensis* l. c. (k) *V. Sadi Rosar* p. 55. conf. *Genius* in *Notis* p. 552. sq. *Marraccius* in *Refut. Alcor.* p. 427.

§. IX.

Ita expergefacti nostri Dormientes unam tantum noctem aut paucas tantum horas dormivisse sibi visi sunt, consveto more se salutarunt & veterem sub pectore prementes mœrorē, illum qui œconomi vices jam ante sustinuerat, (dicitur *Durando* servus reliquorum 6 Nobilium) miserunt in urbem, ut quid ageretur, comperiret, & necessaria vitæ sive panes sive carnes etiam (*Durandus* enim scribit venisse illum in macellum ad carnifices) coemeret. Cum vero Ephesum urbem ingrederetur & omnia videret immutata, signaculum Crucis, quod hætenus suspensum fuerat in patibulo, conspiceret erectum in Ephesi muris, hominesque per nomen Christi jurare audiret, maximo terrore fuit percussus, & dubitare cœpit, an esset urbs Ephesus. (k) Antequam

tequã vero ea exiret, panes emere voluit. Sed porrecto
 pistoribus num̃o Decii (*l*) aut antiquiori (*m*) juxta alios
 effigie notaro, suspectus ipsis factus est de invento The-
 fauro. Proinde ducitur ad Episcopum, qui aliis *Marus*,
 (*n*) aliis *Stephanus*, (*o*) aliis *Marcus*, (*p*) aliis *Maro* vel
Marinus (*q*) vocatur, quem forte fortuna convenerat
 Pro-consul (*r*) *Eutychedictus* Antipater Præfectus ur-
 bis, (*s*) a quo minis, (*t*) vinculis, flagellis, (*u*) adactus
 rem omnem prodidit & speluncam indicavit. Re ita
 manifestata accurrunt omnes ad montē, & ad speluncã,
 inveniunt ibi Jamlichi socios & reperiunt tabulã plum-
 beam, in qua totum negotium antiquis consignatũ erat
 literis, & hoc prodigio maximopere consternati sunt,
 quod quoque ad ipsum Imperatorem delatum est, qui
 venit ipse & cum Episcopo processit ad antrum, visitavit
 hos septem Martyres, seseque coram eis projecit in ter-
 ram. Ita Theodosium in genua procumbentem in-
 sig. æn. exhibent Græco-Mosci: (*x*) Ipsi vero exper-
 gefacti Martyres Imperatorem allocuti sequentem in-
 modum perhibentur: (*y*) *Surrexit, gloriose Auguste, ba-*
resis, que populum Christianum a Dei promissionibus conat-
tur advertere, ut dicant, non fieri resurrectionem mortuo-
rum. Ergo ut scias quia omnes juxta Apostolum Paulum
 representandi erimus ante tribunal Christi, idcirco jussit
 nos Dominus suscitari & tibi ista loqui. Vide ergo ne sedu-
 caris & excludaris a regno Dei. Et juxta META-
 PHRASTEN: (*z*) *Ex hoc tempore imperium Tuum pro-*
pter fidei tua stabilitatem firmum erit, & Jesus Christus
filius Dei vidi, custodiet ipsum in nomine suo ab omni
ventatione. Mibi credas, tui causa fuisse nos a Deo ipso
exsuscitados. (k)

(k) *Metaphrastes* l. c. (l) *Eutybius* l. c. Juvat hæc apponere verbis *Olearii* & *Rosenthal* p. 8. Diese Schläffer/ als sie erwachen/ vermeynen sie nur etliche wenige Stunden geschlafen zu haben/ und als sie hungerte/ sandten sie einen von ihnen in die nächstliegende Stadt Speiße zu kauffen; dieser verwundert sich/ daß die Leute in der Stadt so kleine Personen waren/ denn er und seine Gesellen waren viel größer. Als die Einwohner der Stadt dieses großen Menschen Geld so wenig kenneten/ als seine Sprache verstanden/ führten sie ihn zum Könige desselbigen Ortes/ welcher durch einen Dollmetscher mit ihm redete/ und als er vernahm/ daß der König/ von welchem sie/ ihrer Meynung nach/ waren ausgegangen/ *Dakianus* geheissen/ lästet er in der *Chronica* nachschlagen/ zu welcher Zeit dieser König gelebet/ und bestimmet/ daß es vor neunhundert Jahren gewesen/ so lange haben sie geschlafen. (m) *Metaphrastes* l. c. (n) *Evottus* l. c. (o) *Metaphrastes* p. 316. (p) *Eutybius* p. 532. (q) *Henschenius* in *Act. Sanct. Maji*. Tom I p. 37. (r) *Metaphrastes* l. c. (s) *Eutybius* p. 531. (t) *Metaphrastes* p. 316. (u) *Nicephorus* l. c. p. 541. (x) *Henschenius* in *Act. Sanct. Maji*. l. c. V Fig. 2. (y) *Turonensis* l. c. (z) l. c. pag. 316.

§. X.

Quamdiu vero post sui excitationem e somno supervixerint, non eadem est omnium scriptorum narratio. Finito coram *Theodosio* sermone prostratos in terram extremo sopore correptos obiisse tradunt *Turonensis* & *Manasses*. (a) Post tres dies, cum redisset Imperator, mortuos repertos esse prodit *Eutybius*. (b) Septem dies superfuisset, refert *Nicephorus*, (c) quibus ipse Imperator cum eis fuerit & in communi mensa cum ipsis cibum ceperit. *Nicephorum* sequitur

tur *Sigonius*. (d) Post aliquos dies mortuos esse libera morte scribit *Durandus*, (e) ut alios taceamus.

(a) l.c. (b) l.c. pag. 535. (c) l.c. p. 542. (d) l.c. (e) *Rational*. l.c. pag. 444.

Atque ita mortuos iterum hos Septem Dormientes, *Theodosius* Imperator decrevit loculis sepeliri aureis illos, (e) sed ea ipsa nocte apparuerunt illi & hoc prohibuerunt, orantes, (f) ut in spelunca, in qua fuerant, requiescere illos sineret. In spelunca igitur palliolis sericis aut carbasinis cooperti, (g) relictii sunt. Ur autem memoria tantæ rei eo magis servaretur, *Theodosius* super speluncam templum extruxisse fertur ipsorum nominibus insignitum, (h) & locus inauratis lapidibus adornatus memoratur. (i) Hic singularis concertationis in Alcorano meminit Muhammed (kk) inter fideles & infideles: ان يتنكرون بيسمهم لصرهم فقالوا ايذوا عليهم بغيرنا ربههم لعلم بيسمهم قمر الدين غايود علي اسمهم بنسخون عليهم مسدوا
cum disputarent inter se homines de negotio eorum (i. e. septem dormientium) & dicerent infideles, *edificate super eos aedificium, Dominus eorum scientissimus erat de eis. Responderunt fideles, qui prevaluerunt in negotio eorum: omnino edificabimus super eos oratorium.* Nimirum disceptatio fuit commentante *Marraccio* inter fideles & infideles de construendo circa speluncam, in qua dormierant septem adolescentes, aedificio. Volebant enim infideles construi simplex aedificium; fideles autem oratorium seu Ecclesiam, in qua cultus illis exhiberetur. Festum quoque institutum est in Septem Dormientium memoriam; (k) quo solen-

D

niter

niter in magna Episcoporum & populi frequentia
peracto, (l) Imperator præclarum ea de re trium-
phum egit & Constantinopolin reversus est. (M) Et
quotannis illud ipsum Festum celebratum esse refert
Eurychius. (m) Hodieque celebrari ipsorum memo-
riam, Latinorum & Græcorum Fasti nos docent, in
quibus apud Romanos (n) dies 27. Julii Septem Dor-
mientibus sacer est; Equidem in Fastis Julianis fre-
quenter occurrit d. 27. Jun. Quin & Martyrologia
nonnulla hoc die habere VII. Germanos & apud A-
donem legi VII. Dormientes, notat F.M. *Florentinius*,
(o) etsi alios ab Ephesinis intelligat per VII. Germa-
nos Symphorosa nimirum filios. Apud Græcos (p)
vero dies 4. Augusti & 22. Octobris, nimirum quando
inclusi sunt in specu, & quando excitati sunt. Apud
Abissynos, ut habet *Jobus Ludolphus* ex MS. *Æthiop*
(q) tres dies illis celebrantur; d. 20. Aug. 13. Januar. & 8.
Mart. Coptitæ (r) celebrant d. 25. Febr. Septem Dor-
mientium memoriam. Ne quid solennitati desit,
preces quoque apponemus, quas Pontificii in
missa *S. Septem Dormientium* adhibent. (s)

I.

*Deus, qui in Beatissimis Martyribus tuis, Maximiano,
Malcho, Martiniano, Dionysio, Joanne, Serapione &
Constantino, futuræ resurrectionis primitias suscitasti:
da nobis sic a mundi perturbationibus quiescere, ut ad
caelestem vitam mereamur de terra pulvere vigilare. Per.*

Munera populi tui, quasumus Domine, Beatorum Marty-

rum tuorum intercessione sanctifica: ac nos etiam per
hec a peccatorum maculis clementer emunda. Per.

III.

Cœlestis mensæ dapibus recreati, quesumus Omnipotens Deus, ut nullis nos permittas erroribus decipi, quas per gloriosos septem Martyres, de beata Resurrectionis gloria confirmasti. Per.

Non possumus temperare nobis, quin Verba Thummi nostri apponamus: o rem miram ignavos & inertes coli, scilicet ut tritum illud & jam omnium scriptis sermonibusque pervagatum proverbium etiam de Vobis Papicolis verificetur: *ignavis semper feria.*

- (e) Turon. & Metaphr. (f) Metaphr. l.c. (g) Turon. l.c.
(h) Eutychius pag. 335. (i) Jac. de Vorag. l.c. (kk) Sur. 18.
(k) Eutych. l.c. (l) Metaphr. p. 317. (ll) Niceph. pag. 542.
(m) l.c. (n) Baronius in Martyrol. Rom. pag. 312. Francisc.
Maria Florent. in Martyrol. Hieronymi p. 746. (o) loc. cit.
pag. 628. (p) v. Menol. Græc. ap. Canisium p. 833. Menolog.
Rut. ap. Possévin. T. 2. Apparatus p. 368. Henschenius & Papebroch. in Calendario Græco-Mosco, T. 1. A& Maj. pag. 37.
(q) in Comment. ad Hist. Æthiop. p. 43. (r) ibid. (s) v.
ap. Petr. Damianum Tom. 4. Op. p. 13.

Reliquias horum Septem Dormientium variis in locis sancte haberi incerta admodum fide traditur. Ita Massiliæ quatuor corpora in Monast. S. Victor. ostendit scribit Dan. Chil. Mollerus; (s) sit vero penes ipsum, cum alium non alleget auctorem, fides. Certe Scævola & Ludov. Sammaritani in Gallia Christiana, (t) in qua Massiliæ & hujus Monasterii antiquitates & monumenta sacra exponunt, ex Septem Dormientibus

bus quatuor aservari corpora non memorant. Sed *Andr. Saussay* refert (u) Attrebatî sancte servari *Brachium Maximiliani*, qui præcipuus fuit horum Septem Dormientium, & juxta *Metaphrasten* (x) ipsius Præfidis Ephesini filius. Quo pervenerint, si non interierunt reliqua Septem Dormientium membra & corpora, non disquirimus. Si enim spelunca, quæ non adeo pridem *Thoma Smith* (y) peregrinanti monstrata est ab Ephesinis, translata aliquando est in Cyprum Insulam ibique ostensa *Henrico de Beauvan*, ut ipsa testatur in Itinerario; (z) quid mirum, si & corpora ipsorum, ossa & reliquæ alio translata, feruntur & creduntur. Qui illud credit, credet facilius hoc; sed omnia eadem sancta & Catholica fide digna sunt. De spelunca *Thomas Smith* hæc nobis suppeditat: *prope sunt parvi fornices, quos ingens fornix continet & circumambit, ubi ipsos per tot annos dormiisse & tandem usi in proprio dormitorio repositos fuisse fabulantur.*

(r) Disp. circ. de Septem Dormientibus §. 17. (s) T. 3. pag. 640.

(u) in Martyrolog. Gallicano p. 390. (x) l. c. p. 314. (y) in

Sept. Asiæ Ecclesiarum Notitia, p. 31. (z) vid. *Chamier* in

Panstrat. Cathol. T. 2. l. 16. c. 11. p. 669.

§. XIII.

Et hæc fuerunt, quæ de Septem Dormientibus nobis occurrere. An autem illam relationem narrasse non sit refutasse, Lectori indicandum relinquimus. Sane *Centuriatores Magdeburgenses* (a) hanc narrationem finiunt: *Fidem istis tribuat, qui nimis facile credere didicit. Thummius* (b) noster inquit: *Fidem bis habeat, qui locustam bovem peverisse credit.* Tantum

tum observari cupimus, quod nullus Scriptorum ex Seculo III, IV, & V, aut etiam Sec. VI. initio allegari possit, qui ullam horum Septem Dormientium fecisset mentionem aut de iis vel brevissimam instituisse narrationem. Ut demum sub finem Seculi VI *Gregorius Turonensis* latinus Scriptor nimium credulus fabularum antiquarum amator hæc literis tradiderit, quicquid sit de *plumbea tabula*, quam, *Vincentius (e)* convertit in literas duobus argenteis figillis figillatas, de *passione & Martyrologio* Septem Dormientium, nemini ante hunc *Gregorium* aut memoratis, aut quod certo constet, visis. Aliud Martyrium habuit *Turonensis*, aliud *Metaphrastes*, aliud *Photius*. Illa vero ætas, quam dedita fuerit fingendis & amplexandis miraculis, quibus valde abundat *Gregorius Turonensis* non diffidentibus ipsis *Gregorii* amatoribus, (d) nemini ignorum esse potest. Quales vero sint Scriptores, qui post *Turonensem* hanc narrationem tradiderunt, vel ex paucis istis, quæ ad §.3 attulimus, constare poterit. Nolumus vero hic vel de *Turonensi* vel de reliquis addere plura. Attendi etiam volumus, quomodo dissonent hæc relationes, & in plerisque articulis prorsus inter se non convenient Scriptores. Hæresin Sadducæorum tempore *Theodosii* ex orco fuisse revocatam, & tantas eundo vires acquisivisse, ut opus tanto miraculo fuerit, nullibi comparet; nec iste *Theodorus Ægeorum* Episcopus, qui hæreseos hujus auctor memoratur in Conciliis & Hæresilogiis istius temporis e nomine notatus aut damnatus reperitur. Præterea si



ex somno excitati sunt, ex morte resurrectionem
 nondum satis probant. Ut alia taceamus. Unde
 „parum abest, quin ex ipsis Pontificiis *BARONIUS* (e) hæc
 „omnia fabulis annumeret, hisce nixus argumentis:
 „sententiæ illorum, qui putant hos non ob mortem
 „dictos esse dormientes, sed quod vere eo temporis
 „spatio somno fuerint oppressi, magnopere refraga-
 „tur, quod ipsi ajunt, id miraculum divinitus factum
 „ob eam causam, quod eo tempore de resurrectione
 „carnis hæresis esset orta, cum revera nihil tale tem-
 „poribus Theodosii Junioris contigisse reperiatur.
 „Nam nec in SS. concilio Ephesino, quod sub eodem
 „Theodosio celebratum est, nec in SS. Synodo Chal-
 „cedonensi post illud proxime habita ulla unquam
 „mentio de ejusmodi hæresi facta invenitur, quæ pri-
 „ma omnium sententia damnari debuisset. Præterea
 „si ad adstruendam fidem Resurrectionis voluit Do-
 „minus hos Martyres excitare: manifestum est, eos
 „revera fuisse mortuos: alioqui enim dormientium
 „quidem a somno excitatorum sed non mortuorum
 „resurgentium, quæ fidem Resurrectionis facerent,
 „fuisent testimonia. His accedit, quod nullus illo-
 „rum Scriptorum, qui illis vixere temporibus, rem
 „tam insignem, miraculum adeo grande scriptorum
 „monumentis commendarunt, quæ omnia illos latu-
 „isse, verisimile non est: puta S. Prosperum, qui illo-
 „rum temporum res gestas per annos singulos diges-
 „sit, aut Marcellinum vel alium ex illorum temporum
 „Scriptoribus. Addimus etiam, quod Stephanus E-
 „piscopus Ephesinus, cujus sedis tempore id evenisse
 refer-

refertur in Actis, quæ scripit Metaphrastes, intrusus fuit armorum vi in eam sedem, pollutusque communionem Eurychetis atque Dioscori in latrocinio Euphelino, ut habent Acta ipsa, quæ recitantur in SS. Concilio Chalcedonensi Act. I, XI. Cujus quidem communionem prædicti dormientes merito execrari ac vitare debuissent. Hæc Baroniana amplectitur Spondanus (f) & diligenter Nostrates æque ac Calviniani allegant. Et licet Baronius timidior hoc loco videatur, audacior tamen deprehenditur in Annalibus, (g) ubi Hist. de Septem Dormientibus inter fabulas refert, sine ulla restrictione. Quo minus vero in Martyrologio universam narrationem rejiciat, facit constituta festi Septem Dormientium solennitas. Unde statuit illos VII Dormientes sub Decio in spelunca conclusos consummasse martyrium, & sub Theodosio iterum repertis ipsorum corporibus qs. redivivos vivos esse. (h) Et tandem concludit: (i) *Quicquid sit, optimo jure dicimus, tam Latinos, quam Græcos, religiose ac pie colere & celebrare horum Sanctorum anniversariam solennitatem, cum gradia passi sint temporibus Decii, atque revera in Domino obdormierint.* Quam valide, judicabunt illi, qui & ipsi speluncæ, qua sub Decio conclusi Septem Juvenes, & sub Theodosio inventi feruntur, schedulam aut tabulam plumbeam aliquam esse affixam, qua res liquidius probetur, exoptant. Et eam libertatem, quam sibi Baronius, ejusque Epitomator Spondanus & alii Pontificii sumserunt, discedendi a Septem pueris expergefactis, jam quoque oramus concedi nobis, ut discedamus ab iisdem septem dormientibus, & a spelunca au-

ca aufugiamus, in qua pro eo, quod Φοβερὸν θάρμα nuncupant, reperimus Φοβερὸν ψεύδος, si adeo duriter Fabulam hanc finire juvat. (k)

*Heu qualis quantusque latet Polyphemus in antro
Monstrum, horrendum, informe, ingens, cui lumen ad-
emptum.*


(a) Cent. V. p. 1488. (b) de Festis p. 147. (c) Vincent. Hist. l. 21. c. 33. (d) vid. Ruinartus in præf. cit. (e) Baronius in Martyrolog. p. 311. (f) in Annalibus ad ann. 253. p. 112. (g) in annal. ad ann. 853. T. 10. p. 110. (h) in Martyrol. p. 33. (i) Hanc sententiam etiam aliqui Nostratum sequuntur. V. Miscralius Syntagm. H. E. p. 172. &c. (k) Majori vero jure hoc fiet quam equidem Marraccius in Notis ad Alcoranum p. 425. Hottingerum qui in Hist. Or. p. 59. hanc de Septem Dormientibus Historiam appellaverat Fabulam, vocat monstrum impietatis. Sed hæc catholica fidei condonanda sunt,

בנר.

תוספת

- I. Unitas Dei alia ex Natura, alia ex Scriptura cognoscitur.
- II. Deum posse contradictoria materialiter & formaliter talia ἀνευλόγως dicitur & tantum secundum externam apparentiam contradictoria intelliguntur.
- III. Porcis projiciendum illud Judæorum: ארור מי שינור: maledictus sit, qui nutrit porcum, & maledictus sit, qui docet filium suam Philosophiam.
- IV. Causa per accidens non est vera causa.
- V. Danur turpia in se talia.
- VI. Quæ apud veteres pia fraude conficta sunt, sæpius sunt sine laude.

ס) (ס



155 186



56

AB 155 186


9/11 186





DE SEPTEM DORMIENTIBUS,

Germanice *Præside Christiano Reineccio*
Von den *A. S. R. Joach. Christoph. Reine*
Lips. d. 8 Julij 1702.
Sieben Schläffern.



LIPSIÆ,
Impensis JO. MARTINI BURGKMANNI,
IN COLLEGIO PAULINO 1715.

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8

Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

Farbkarte #13

B.I.G.

